

baldi in ecclesia Eystettensi et ibi in devocione sua existens positus fuerit in extasim nesciens an in corpore vel extra corpus et ibidem receperit divinum responsum: Amice, sint tibi dimissa omnia peccata tua propter contricionem per te habitam^{a)} et quod de cetero non esset astrictus ad confitendum nec ad sacramentum eukaristie nec ad alia quecunque sacramenta recipere, sed liber spiritu et inpeccabilis.

Item interrogatus an alios^{b)} de predictis articulis instruxerit, dicit quod non, quia nullus possit^{c)} instrui, nisi detur sibi a spiritu sancto.

Item interrogatus, an credat plura testamenta, quam vetus et novum testamentum, respondit, quod sic, et dicit^{d)}, quod ipse sit secundus Adam et a deo constitutus, quod, postquam compleverit triginta annos a tempore sue perfeccionis et ab eo tempore, quo sibi fuit datus liber spiritus, de quo sint^{e)} bene novem anni, tunc sit missus a deo in universum mundum et habens potestatem super universum mundum ewangelisandi, signa faciendi et omnia opera faciendi, que Christus fecit, et quod ipse sit Antichristus nec Antichristus sit in malo recipiendus, quamvis nos solemus in malo interpretari. Et dicit, quod secundus Adam, quod ipse sit, sit principium tercie generacionis hominum post extremum iudicium habitancium in paradiso terrestri usque ad voluntatem Christi et tunc deus rapiat eos in celum et quod in paradiso protunc fiant generaciones hominum sicut^{f)} pronunc fiant ex seminis propagacione.

Presentes supradictis interrogationibus et responsionibus^{g)} magister Eberhardus inquisitor, Ulricus de Leonrod, magister Conradus Gleichen, magister Rabanus Custos, Waltherus Schubel. Petrus officialis, magister Ulricus Reblin et Nicolaus capellanus S. Pauli et Walbramus plebanus.

Item interrogatus, an a predictis articulis et punctis, ut superius continentur, velit desistere et eis abrenunciare, respondit, quod omnia predicta expresserit et dixerit ex instinctu et informacione spiritus sancti, hiis velit eciam satisfacere et non velit averti per informaciones hominum, eciam si celum et terra deberent fundere lacrimas seu guttas sanguineas, eciam si deberet declinari vel in pulverem cremari corpus suum proprium seu enervari.

Item iterum dicit, quod si^{h)} ipse sit hereticus et dicta sua essent falsa, tunc pater, filius et spiritus sanctus sintⁱ⁾ heretici et ex consequenti nos omnes et totus clerus esset hereticus.

Item dicit, quod ipse sit tante sanctitatis sicut Christus et habeat spiritum sine mensura sicut Christus et sanctitas beati Pauli in compara-

a) habitat' P; habitatam (?) H b) alias P c) posset H d) et dicit *fehlt* H e) fuit H f) sicut PH g) et resp. *fehlt* H h) si *fehlt* P
i) sunt H.